

§. V. Plurima in ejus epistolis notavi, quæ satis ostendunt, Autorem plerasque suas hypothesen ex *Theophrasti Paracelsi, Jacobi Böhmii, Valentini Weigeli*, & aliorum ejusdem farinae fanaticorum hominum scriptis, depromsisse, quod quidem ipse non diffitetur. Inter alia in primis id ostendunt ea, quæ in epistolis ejus leguntur de *ministerio Ecclesiastico*. Ex quibus potiora quædam dogmata heterodoxa selegi, in præsentis dissertatione discutienda. Servabo in iis ordinem istum, ut primo loco agam de iis, quæ pertinent ad doctrinam de *vocatione ministrorum Ecclesiæ*, secundo de *personis*, quibus ministerium evangelii committitur, tertio de *sacratissimi muneris Ecclesiastici præcipuis functionibus*, nec non de *effectu* harum functionum, & ultimo loco de quibusdam sacri hujus officii *adjunctis*.

§. VI. Quod igitur attinet doctrinam de *vocatione ministrorum Ecclesiæ*, in Epistolis his, quas Theophrasticas appellari voluit, præcipue geminum notavi errorem. Primum, quando affirmat, ad munus Ecclesiasticum bona conscientia & cum fructu obeundum nostro etiam tempore & pro præsentis rerum statu in universum, & *absolute necessariam* requiri *immediatam vocationem divinam*. Alterum, quando etiam in Ecclesia plantata *vocationem mediatam*, quia sæpius fiat absque interna & immediata motione Sp. S. *vitiosam* esse dicit. Vocationis vocabulum hic non alio accipio, quam eo sensu, quo denotat actionem Divinam, qua Deus ex promiscua hominum multitudine aliquos eligit, aut separat ad publicum prædicandi evangelii & administrandorum sacramentorum munus in Ecclesia peragendum

dum